



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. Symbola, & similitudines.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

tio, lacrymae, jejunia, debitoris boni census est. S. Ambr. lib. 2. de poenit. c. 8.

Etiam si mille mortes pro Christo pateremur; nē sic quidem satisfacere, aut debitum nostrum implere, possemus. Alius quippe est DEI, alius fervorum, sanguis; secundum dignitatem dico, non secundum substantiam. Jo. Climac. gr. 22.

Quid illi retribuemus pro omnibus, quae retribuit nobis? Quid illi pro malis meis, quae pertulit? quid pro bonis suis, quae contulit, referam? quid pro suscepta carne? quid pro alapis, opprobriis, flagellis, cruce, obitu, sepultura, rependam? Reddamus amorem pro debito. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Ingentia debita labor solvit exiguus, quae vix consumpturus erat ardor aeternus. S. Caesarius hom. 1.

§. II.

### Debita peccata sunt.

**D**imittite nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Et dimittite nobis peccata nostra, Luc. 11. 4. Quare post petitionem panis de venia peccatorum agitur? Resp. Fortunatus: bene, post escam quaesitam, postulat venia peccatorum; ut, qui DEI cibō pascitur, Deo vivat. In pane intelliguntur omnia temporalia ad vitam necessaria. Obtentis his homo ad peccatum adeo est proclivis, ut mox ei necesse sit veniam peccatorum petere. S. Thom. in Catena ex S. Chryl.

post subsidium cibi, petitur & venia delicti. S. Chryl. in Matth. 6. q. 16.

**Decem millia valenta.** Matth. 18. 24. Quantum interest inter centum denarios, & decem millia talenta; tantum & inter ea, quae nos in Dominum; & ea, quae alii in nos deliquerunt. S. Chryl. in Gen. hom. 27.

**Et debitum dimisit ei.** Matth. 18. 27. Quam facilis debitum remittit, qui tam iratus iussit venundari peccatorem. Iussit venundari, ut peteret veniam. Vexamur à Domino, ut ad poenitentiam alliciamur. S. Chryl. Rex caelestis non ex crudelitate iussit servum venundari, uxorem, & filios: sed quia incredibili curā illius devictus hac comminatione ad supplicandum, nē venderetur, adducebatur. Escob. t. 6. par. Chr. l. 2. §. 3.

Non curabant Sodomitae debita, neglexerunt quotidie. Neglectu crescente crevit debitum: repetitionis Chirographum auctum est, foenera peccati aucta sunt; factum est tempus repetitionis. Non habuerunt aliquid in promptu, quod redderent; non erant solvendo. Imperavit Dominus debiti, ut ipsi traderentur igni, & mulieres eorum, & filii eorum; & omnia, quae habuerunt, in satisfactionem cederent. S. Chryl. in Gen. serm. de Adam, & poenitentia.

Oculi sunt velut loculi solutionem debitum deducentes per lacrymas. S. Bonavent. in Pf. 118.

## TITULUS II. DESIDERIA.

§. I.

### Symbola, & similitudines.

**O**s meum aperit. Pf. 118. 131. Os cordis desiderium est: quod tunc ad amorem aperitur, quando supra modum ab homine desideratur. S. Thom. Vill. l. 3. Diliges Dom. &c.

**Omnis labor hominis in ore ejus.** Eccle. 6. 7. Os dicitur inhiatio desiderii: qui enim desiderat, quasi os aperit. Laborem igitur esse in ore, hoc est, laborare ad desiderii completionem. S. Bonav. hic.

Omnis, qui vult sibi aliquid praestari, in ardore est desiderii. Ipsum desiderium fitis est anima. S. Aug. in Pf. 62.

Hydropim spiritumaliter patitur, qui ardentem aliquid concupiscit. S. Laur. Just. in fasc. am. ap. 15.

Fames anima, desiderium est. Rich. à S. Vict. tr. de grad. char. p. 1. c. 2.

§. II.

### Desideria dilata cruciant.

#### Ex Veteri.

**Multiplicabo arumnas tuas.** Gen. 3. 16. & conceptus tuos. Ex Hebraeo aliqui sic reddunt: *Multiplicando multiplicabo an-*

*gustiam tuam, & conceptum tuum: angustia paries filios tuos.* Ubi observat Oleaster; non in eo fuisse maledictam mulierem, quod multas proles paritura esset, (hoc enim in beneficii Dei numeratur) sed maledictionem, & poenam, illius futuram in modo parienti, & tempore conceptus. Deceverat enim DEUS, ait Oleaster, ut femina suscepto semine, & formato foetu, statim illum emitteret, & non gestaret in utero ad novem menses cum maxima molestia: ideo in poenam peccati multiplicavit tempus. Est mulier desideriorum mirè impatiens: quare cum DEUS maxime totam vellet, acerbiores non invenit dolores, quam ut eam res cupitae dilatione castigarent. Did. Niff. f. 5. D. 1. Quadr. §. 4.

**Commota fuerant viscera ejus super fratre suo.** Gen. 43. 30. Sept. torquebantur viscera ejus. S. Ambr. l. de Joseph. c. 10. torquebantur viscera ejus, quia complectendi ejus, quem desiderabat, libertas differebatur. Id. ib. gaudendum tibi potius, ex quo charissimum tuum Benjamin vides tamdiu desideratum. Ardentem se manifestare, illum amplectari, & osculari, cupiebat; sed eo contuit se, quia tempus opportunum id faciendi exspectabat.

Videns